VENERANDO DOMINO

DECANO,

ET

SAPIENTISSIMIS VIRIS SACRÆ FACVLTATIS PARISIENSIS DOCTORIBVS.

CVM is non ſim ego, SAPIENTISSIMI MAGISTRI NOSTRI, *qui me errati omnis expertem vel credam ipſe, vel ab aliјs credi velim, nunquam mihi animus fuit Facultatis Pariſienſis, quam vt matrem veneror, & cui tot nominibus obſtrictus ſum, iudicium defugere, modò vt ab naturali & æternâ lege, quæ Deus eſt, præſcriptæ iuſti & æqui regulæ ſeruarentur. Nemini verò dubium eſt, nihil eſſe ab omni æquitate magis alienum, quàm vt quiſquam damnetur inauditus. Hinc in Actis Apoſtolorum nota illa Feſti Proconſulis hominis ethnici de Paulo accuſato, à ſummis poſteà Pontificibus commemorata ſententia :* Non

eſt mos Romanis damnare aliquem hominem; priuſquàm is qui accuſatur locum defendendi habeat ad abluenda crimina. *Si non fuit ille mos ethnicæ iuſtitiæ, multò minùs Eccleſiaſticæ. Addo etiam; non eſt ille mos noſtræ Facultatis, vt aliquot ab hinc annis in Ludouici Cellotij cauſâ luculenter oſtendit. Supplex igitur à vobis poſtulo, quod iam ſcriptis ante aliquot dies ad venerandum Dominum Decanum litteris ſignificaui; vt priuſquàm de Epiſtolâ meâ quidquam à veſtro ordine ſtatuatur, quæ in illâ reprehenſione digna viſa fuerint ſcripto mihi exhibeantur; quò vel ingenuè agnoſcam ſi in aliquo lapſus ſum, vel ſenſum meum explanem ſi quid à me obſcuriùs dictum fuit, vel à SS. Patrum ſemitis nullatenus me aberraſſe oſtendam, ſi quid tanquam meum reprehenſum fuerit, quod à puriſſimis illis Chriſtianæ Theologiæ fontibus hauſtum fuiſſe demonſtrare potuero. Ego verò grauem ampliſſimo veſtro Ordini injuriam me facere exiſtimarem, ſi tam æquæ poſtulationi quemquam veſtrum reſtiturum eſſe arbitrarer, & id ſuis ne Facultas deneget metuerem, quod vltro obtulit alienis, & quod ipſa vox naturæ, quod omnium legum & diuinarum & humanarum oracula poſtulant. Faxit Chriſtus æterna veritas & pax noſtra, vt ſaluo ſemper Catholicæ veritatis depoſito firma in noſtro Ordine & verè Chriſtiana pax æternùm vigeat.*

Obſequentiſſimus veſter

ANTONIVS ARNALDVS,
Doctor & Socius Sorbonicus.

E Portu Regio,
Prid. Cal. Decemb.
An. Dom. 1655.